

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Credendum, Deum non tantùm omnia videre, sed etia[m] prouidere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

qua sanè efficacissima est ad homines à peccato auertendos. Sancti, in cælo, quia Deum semper præsentem intuentur, amore eius exardescunt, & impeccabiles efficiuntur. In terris quoque, quod quis magis Deum præsentem videt, minùs peccat. Quin sicut cera fluit à facie ignis, sic lachryma peccatoris à facie Numinis. Ter Dominum Petrus negauerat, putasse filicem factum : ac conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Luc. 22. 61. Domini, sicut dixerat : quia prius quam gallus cantet, ter me negabis : Et egressus foras Petrus fleuit amare. Tanti refert vel videre Dominum, vel à Domino videri. Vrget præsentia Turni, dixit ille: magis utiq; vrgere debet præsentia Dei.

C A P V T VIII.

*Deum non solum ubiq; esse, & omnia videre, ac regere, sed etiam
Beneficentiam Iramq; pariter exercere, in Mundo, debere:
& quis inde fructus hauriatur?*

Primus videndi & ad domicilium veritatis ascendendi gradus est, Deum ubique præsentem & omnia videntem intelligere, sed non in eo manendum est. Qui enim tantum intelligit Deum ubique existentem omniāque intuentem, adhuc nec amat, nec metuit, nisi accedat causa amandi atque metuendi. Ad alterum igitur gradum enitendum est, qui est, non solum perspicere animo, quod unus sit Deus summus, infinitus, immensus, supra omnem hominum captum sapiens ; sed etiam, quod summè Bonus & Iustus; cuius potestas ac prouidentia non solum efficerit à principio Mundum, sed etiam in posterum gubernet. Quid enim prodest, consentire, unum esse summum Deum, & non credere, gratificari eum cuiquam, nec irasci, sed securum & quietum immortalitatis suæ bonis perfri? *Etenim si est Deus, ait Lactantius,* Lib. de Ira Dei. c. 9. *utiq; prouidens est, vt Deus; nec aliter ei potest diuinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura propiciat.* Adeò vt qui prouidentiam tollit, etiam Deum neget esse ; & qui Deum esse profitetur, etiam prouidentiam simul esse concedat. *Altèrum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.* Prouidentem autem

autem esse, non est tantum scire, quid cuique debeatur, sed ita res disponere, ut cuique eueniat, quod imperij iustitia requirit. Itaque & gratia beneficium esse, & iuste irasci pertinet ad gubernantem. Quare & ira tribuenda est Deo, & gratia non detra-

Lactant. lib.
de Ira Dei.
cap. 6.

henda. Hac tuenda nobis, & afferenda sententia est, in ea enim summa omnis, & cardo religionis, pietatisq; versatur. Nam neq; honos ullus deberi potest Deo, si nihil prestat colenti; nec onus metus, si non irascitur non colenti.

II.
Ibid. cap. 3.

Itaque primò illud nemo de Deo dixit unquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moueri, est enim disconueniens Deo, ut eiusmodi sit potestate præditus, qua noceat & obfit; prodeesse vero, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposta est, si malorum tantummodo auctor est Deus? Quid si sit: iam Maiestas illa venerabilis, non ad Iudicis potestatem, cui licet seruare ac liberare, sed ad tortoris & carnificis officium deducatur. Cum autem mala sint in rebus humanis & bona, cur Deum malorum auctorem esse, & non etiam bonorum, dicemus? cur afferemus, diuinam illam potestatem, qua nihil est maius aut melius, nocere posse, prodeesse non posse? Quamobrem ira Deo, sine clementia attribui non potest; aut vtraque concedenda, aut vtraque tollenda est. Epicurus & iram Deo, & gratiam negavit pariter, bis' inceptus, ne dicam impius. Qui cum etiam Deo actionem omnem sustulit, vitam ademit, cum sit proprium viuentis agere, & intelligentis intelligere aliquid, & velle, atque erga alios gratia, aut ira moueri, præsertim erga eos, quos subiectos habet. Quæ maior, & quæ dignior administratio Deo assignari potest, quam Mundi gubernatio? quam cura viuentium? maximeq; generis humani, cui omnia terrena subiecta sunt? ait Lactantius. Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cecus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam prouidentia? Sed finibil curat, nihil prouidet, amissit omnem diuinitatem. Quod cum dici non possit, fatendum est, eum Mundo prouidere, hoc est, & ira & miseratione moueri.

Ibid. Laet.
cap. 4.

III.
Idem. Laet.
cap. 5.

Error fuit Stoicorum; gratiam in Deo esse, iram non esse. Error fuit, inquit, Nam si Deus non irascitur impys & iniustis, nec pios utiq; iustosq; diligit. In rebus enim diuersis, aut in utramq; partem moueri necesse est, aut in neutram. Itaq; qui bonos diligit, & malos odit: & qui malos non odit, nec bonos diligit, quia & diligere bonos ex odio malorum